



## II. Abtheilung: Mittheilungen.

### Ephemerides

Rerum in Monasterio Mellicensi et in Austria nostra gestarum a die 31. Julii anni 1741 usque ad annum 1746,

a P. Hieronymo Pez, Bibliothecario Mellicensi, conscriptae

et a P. Vincentio Stauffer, ejusdem Bibliothecae Praefecto, editae.

(Continuatio, vide fasc. III. h. ai. pg. 121—136.)

19. Aprilis iterum permultae rates onustae parvis tormentis Lunten Büchsen Schäft aliisque rebus hic Danubium transiere, Viennam pergentes.

23. Ego et P. Reinerus invitati a D. Abbate Gottwicensi in Gurhoff venimus, et in die S. Georgii apud ipsum mansimus, omni amore et humanitate ab eo habiti. Qui inter alia plura nobis narravit singillatim captivitatem suam, quam a Gallis perpressus est anno priori, et addidit se iis dare debuisse 20.000 fl., et illa pretiosa monilia, quae iis oppignoravit ad obtinendam celerem liberationem, in hunc diem se non recepisse, licet repetierit, dixit, illa multis millibus constitisse. Idem inter alia dixit, se in Archivo Bambergensi vidisse chartam vetustissimam, a matre Adalberti Comitis Babenbergensis decollati, Therasensi Monasterio datam, quod maxime miratus sum, et quam describendam se curaturum promisit. Abbas hic tunc agebat annum aetatis 70 adhuc, praeter pedes infirmos, stomacho et reliquo corpore sanus et vigenus.

E novis Viennensibus: Prussi 22. Aprilis appropinquante nostro exercitu Olomucium deserunt, relictis aliquot tormentis et magno Magazino. Item Hussaros nostros Neustadii in Moravia 800 Prussos occidisse, cepisse vero 400 et magnum Magazinum. Comes noster Kevenhiller mandatum publicavit adversus Raubschützen vnd anderes liederliches Gesind in Bavaria, qui nostros milites singillatim emissos a Generalibus,

et sylvas praetereuntes, occidere et spoliavere, ut loca et Dynastiae, in quorum territoriis faex hujusmodi hominum degit, adversus eosdem expellendos et indicandos agant, sub comminatione poenae in contravenientes, ut in duplo resarciant damna nobis illata, et igne ac ferro puniantur. Item exercitus noster castra sua metatur intra Isarum et Danubium fluvios prope Platling, hostibus iam prope Ratisbonam adventantibus, atque ita, exceptis locis munitioribus debito praesidio munitis, reliqua loca, uti et Kelham, deseruntur a nostris; in Landau vero constitutum das Hauptquartier.

27. Aprilis me vidente iterum multae rates, in quorum duabus 16 satis magna tormenta bellica erant et 4 vexilla bavarica, onustae magnis lignis Lavetten, Lunten et vasculis ligneis pulvere nitrio, ut creditur oppletis, item veteri armatura, uti Harnisch Pickelhauben, penes Monasterium transierunt. Ab aliquo tempore ultra 100 tales naves e Bavaria Viennam descendere. E novis Gallicis Vienna scriptum: Principem Esterhazi ducem suae legionis prope Sternberg 27. Aprilis 200 Prussos occidisse, 150 cum praecipuis Officialibus cepisse, duo vexilla illis eripuisse cum 65 curribus impedimentorum et tanta pecuniae summa, ut singuli milites gregarii inde 200 fl. acceperint. E novis Gallicis: Imperatrix Russiae abiit Moscoviam ibidem sollemniter coronanda. Inter illam et Regem Sueciae bellum incipit propterea, quod Sueci noluerint acceptare pacem sibi oblatam sub conditione: uti possidetis. Praga scriptum die 9. Aprilis, quod nostri aggressi sint arcem Frauenberg defensam ab hostibus sub Colonello Witgenstein cum 500 Bavaris, et in prima aggressionem repulsi fuerint, cum amissione 400, quodque in secunda aggressionem sub regimine Principis Lobkowitz iterum retusi fuerint, amissis 600, inter quos fuit Colonellus Comes de Colowrat, aliisque multis vulneratis. De hoc nihil meminerunt Nova Viennensia. Francofurti scriptum 11. Aprilis, quod Comes de Herwart filius Vicedomini Straubingensis ad Carolum VII. Imperatorem missus attulerit, hanc urbem nostros sub Comite Wurmbrand (qui non admodum laudabiliter in hac obsidione se gessit) 3. Aprilis aggressos et usque ad diem 10. plus quam 900 Bomben, uti et aliquot centena igneorum globulorum et lapidum in eam iniecisse. Quod autem loci Commendans Brigadier Wolfwiesen ob frequentes exitus et per continuum ignem in nostros factum, ita fortiter nostris restiterit, ut die 11. nostri cum confusione et opprobrio obsidionem sustulerint, fugientes versus Platling et ab insequentibus hostibus currus aliquot pulvere nitrio onustos, magnam quantitatem cerevisiae, aliasque munitiones belli amiserint, et in ultimo assultu nostri plus quam 600 milites amiserint, Bavari vero unicum. Additur signiferum unicum Bavaricum cum 20 solum egressum e nostris Grenadieris 150 in domibus existentes aggressum, et eorum 10 occidisse, quosdam cepisse, reliquis igne et fumo extinctis. Item quod nostri quosdam venatores infirmos in lectulis positos decapitaverint, et quosdam secum abduxerint per summam inhumanitatem, propterea quod cives Straubingenses se iunxerint militibus praesidiariis

et desperate se vellent defendere contra nostros. De hoc toto casu nec verbum legitur in novis Viennensibus, quod mihi displicet, cum ceilent ea, quae nobis non sunt honorifica, obscure tamen ex iis colligitur, a nostris obsidionem hujus loci sublatam. In novis Viennensibus de hac obsidione narratur: a nostris in urbem Straubingam injecta 478 Bomben 76 Haubiz Wurf 122 tormentorum globos, e nostris occisos tantum 9 et vulneratos 29, item hostiles milites in suburbio infirmj 90 exusti sunt, et 350 iidem infirmos hostiles milites a Comite nostro Wurmbrand ex caritate christiana omnibus necessariis provisos. Vide infra de hac nostrorum iactura Comitis de Pitazzi et Comitis de Starenberg relationem dicentem tantum fere 40 partim occisos partim vulneratos fuisse. Galli Egram urbem aggrediuntur, ad quam Norimbergenses addietissimi novo Imperatori tormenta bellica propriis suis sumptibus conferre dicuntur. In hac obsidione Egrenci in quibusdam novis relatum fuit, Marchionem de Leuville obiisse, qui D. Abbatem nostrum iussit captivari. Vide supra 1. Nov. 1741. Extinctus est 5. Aprilis anno aetatis 72.

E novis Viennensibus: 23. Aprilis nocte fugiunt Prussi ex urbe Olomucensi, relictis multis tormentis, farina, hordeo, avena et foeno, iidem paulo post etiam Sternbergam deserunt, appropinquante nostro exercitu sub Duce Carolo Lotharingiae Principe. Atque ita liberata est tota Moravia Dei misericordia a Prussis, qui eam miserandum in modum devastarunt spoliarunt et oppressere.

Rustici Moravi vehementissime irati Prussis strenue operam navarunt ad expellendos et occidendos hostes illos, illisque a Carolo Principe concessum, ut armis invadant eos et occidant, et quidquid praedarum illis abstulerint, illis maneat. Item urbs Egra in Bohemia primum hoc anno in Martio a Gallis acriter oppugnatur et post tres Septimanarum obsidionem per capitulationem eam obtinent, factam 19. Aprilis, uti habent acta Capitulationis novis Gallicis inserta, ex quibus etiam constat, praesidium urbis 1233 militibus constitisse, 360 praesidarii milites cum omni honore militari dimissi et perducti usque Passavium. Rex Angliae cum utroque Parlamento plurimum favet Reginae nostrae, eamque juvare promittit. Prussorum ingens numerus ad nos defecit ob metum, ne ab incolis Moraviae et Silesiae trucidentur, multi quoque eorum servitia nostrae Reginae petunt et obtinent. Rursum eorum multi ab Hussaris capti et occisi. Noster exercitus iterum Bohemiam Gallis et Bavaris insessam intrare parat. Exercitus noster in Bavaria Kelham aliaque loca deserit et se in unum colligit ad ostium Isarae fluvii et apud Danubium; hostes vero inter Ingolstadium et Kelham coeunt, nos e Bavaria exturbare conantes, quem tamen locum iterum deserunt, ut infra dicitur. Imperatrix Moschoviae eam urbem feliciter attingit, ibidem coronanda, comite quoque Duce Holsatiae, propinquo suo.

21. Aprilis. Comes de Bellisle Gallus iterum Francofurtum ad Carolum VII. Bavarum venit, in Bohemia exercitum Gallicum, ut fama est, ducturus, uti et ante Montio, legatus Hispanicus.

30. Aprilis. Item e novis Viennensibus: Allerspachio Monasterio Cisterciensi in Bavaria scriptum, nostrum exercitum relicto priori situ apud ostium Isarae se versus Vilshofen et Passavium recepisse, idque propterea, ut propior esset Passavio, quae occupanda ab hostibus credebatur, ut haberet securum per eam urbem in Bohemiam iter, et Danubium intercluderet. Item a nostris omnem fere victum et comeatum Bavaris ademptum ita, ut hostis adveniens subsistere nequeat in Bavaria ob defectum annonae. E novis Gallicis: Nostri numero 150 Deggendorffo fugiunt advenientibus Bavaris, quibus adjuncti erant rustici 2000, incenso a nostris ponte. E Mederiz in Moravia noster exercitus per Moraviam in Bohemiam magis magisque pergit, interim magno numero deficientibus ad nos Prussis, quos fugientes in Silesiam nostri Croatiae et rustici Moravici, dicti Hannacken, insequantur et depraedantur. Hussari capiunt 130 Prussos, et plus quam 20 currus illis eripiunt. Munitiora loca Moraviae variis praesidiis numero 16000, absque dem gemeinen Lands Aufbot, muniuntur, ne pateat ad eam hostibus accessus. Item arx Glacensis in Bohemia se dedit Prussis per capitulationem; nostris cum omni honore militari et tormentis exire licuit, idque factum 25. Aprilis. Carolus Princeps Viennam abiit, et inde illico discedit, magna ut creditur cum Regina tractaturus. In Majo iterum Viennam veniunt desertores Prussi et Galli numero 200, quorum plurimi in castra nostra transierunt. Item Regimen Andrasianum Hungaricum pedestre hinc transiens in Bavariam ad exercitum abiit, in quo multi Bavari capti, et sponte servitia Reginae accipientes erant.

8. Maji. Comes de Pitazzi, ein Oberster der Carlstädter, seu Croatarum, hic in Monasterio divertit, Dominus perhumanus et doctus, qui ab exercitu nostro Bayarico, in quo Croatas duxit, abire jussus 3000 vel plura Croatarum in exercitu Principis Caroli Lotharingici in Bohemia gubernare iussus est; huic in Bibliotheca locutus sum. Hic inter cetera narravit, Straubingae nostrorum nonnisi circiter 40 in obsidione loci caesos et vulneratos fuisse. En! quo modo omnia augeant Bavari, certe falsa plura sparserunt. Vide supra 11. Aprilis. E novis Gallicis relatum: Prussos et Saxones se convertere omnes in Bohemiam metu nostri exercitus, in idem regnum abeuntis.

13. Maji. Generalis Praefectus vigiliarum D. de Hilfreich, miles iam 40 annorum, cum uno locumtenente et adjutante nobiscum in Refectorio prandium sumsit ipso die Pentecostes, vir praeclarus et perquam humanus, statim sumpto prandio per postam ad exercitum nostrum Bavaricum pergens. Hic dixit, hunc exercitum nostrum constare 16000 militum, ut puto absque Hungaris Croatis et Banduris, nobisque orandum esse, pro felici successu nostrorum in Bavaria, eo quod tota Bavaria nos infestet.

29. Aprilis Generalis Stensch noster, qui Monachium Bavarico praesidio tenebat, eandem urbem clam cum suis militibus reliquit, ob metum hostis advenientis, uti ipsi Monacenses persuadere conati sunt. Itaque Kevenhillerus Dux supremus Baronem de Bernklau cum iisdem

militibus Monachium remittit ad eam occupandam. Qui cum venisset, Bavarici venatores et Schützen magno numero nostros milites Iseram transeuntes invadunt et terribilem ignem in eos faciunt. Nostri tandem per capitulationem loci, Consule, et duobus Comitibus ac Secretario eam rogante nomine civitatis, item urbem recuperant, vulneratis et occisis e nostris Grenadieris, ut nova habent, circiter 40, uno centurione etiam necato, qui milites erant Croatae, Hussari et Banduri. Aderant urbis expugnationi Comes Leopoldus Palfi, Menzl et Trenk. Dictus Baro Stensch in persona sua in Tyrolim pro poenitentia remissus fuit eo, quod Monachium ob illum rumorem, non satis verum, deseruerit. Monacenses hac secunda occupatione plurimum humiliati fuere. Acta capitulationis non erant expressa. Consul Monacensis nomine Schoenberg, cum nostri urbem primum reliquerunt, se urbis Commendantem fecit, omnesque cives ad rebellionem concitavit; sed nostris secundo advenientibus, cum praecipuis rebellionis capitibus auffugit, cui omnes infernum imprecati sunt. Cives cum venatoribus et iaculatoribus fortissime nostris restitere, tandem victi deditionem obtulere, Panduri et Croatae suburbia expilarunt et incenderunt. Amplam hujus obsidionis relationem exhibent nova Viennensia impressa N. 40 et 39 ad diem 16. Maji.

E novis Gallicis Francofurto scriptis 3. Maji: Austriaci clam Monachio egrediuntur mane die 29. Aprilis, et claves urbis remittunt post exitum hora una. Rustici Bavarici Tölzii congregati, ubi aliquot Banduros et Hussaros captivarunt, et praedas valentes 15000 fl. egerunt, venerunt ad Monasterium Schöffting, (?) 4 leucis Monachio distans, ibidemque includere parabant Baronem Trenk cum suis Banduris, verum ab uno proditore monitus Trenkius illico cum suis rates sine remigis conscendens salvus usque Monachium pervenit. Item Austriaci metu rusticorum Bavaricorum 23 rates plenas panibus et farina Graneckii ad Iseram fluvium derelinquunt. Austriaci contra capitulationem cum Monacensibus initam invaserunt Ducis Bavariae granaria, quod damnum Comes Kevenhiller reparare promisit. Comes Montio, Hispanicus legatus, et Comes de Bellisle, Gallicus legatus, Francofurti cum Carolo VII. festum nominis Regis Hispaniorum sollemniter agunt. Ex iisdem novis Gallicis de secunda occupatione urbis Monacensis haec summatim referuntur: Postquam Austriaci 29. Aprilis celeriter et cum confusione urbem reliquerant, et una leuca distantes claves urbis remiserant, urbs et consiliarii ejus credere, se iure, cum capitulatio prima varie violata fuerit, facere, ut relictos eorum obsides, Officiales et milites suos et subjectos facerent, et secundum morem belli omnia pararent pro defensione urbis, idque ex zelo fidelitatis erga Principem suum Ducem Bavariae. Verum hic zelus hostes in furorem et saevitiam adduxit magis ferocibus bestiis quam hominibus convenientem adeo ut nulla habita ratione belli gerendi contra urbem ejusque incolas omnibus honestis hominibus abominabilem vindictam ceperint. 5. Maji die Sabbati mane in altera Isarae ripa se ostendebat Colonellus Menzl cum 250 Hussaris, e quibus unus ultra fluvium laxato sclopeto servum vena-

torium occidit, contra quem venatores, und die Schützen vicissim iaculati 2 Hussaros et 2 equos peremere. Tum Menzlius duos tubicines cum uno locum tenente in urbem misit, haecque 5 postulata eidem proposuit: Primo, ut ob ablatam annonam Grinekii Austriacis factam Austriacis dignam satisfactionem praestet. Secundo ut detentos obsides remittat. Tertio ut repararet damna in Arschamb per egressum hostilem Austriacis illata. Quarto ut residuam contributionem propter Brandschatzung solvat. Quinto ut 2500 rationes in pabulo, avena etc. pro suis equis suppeditet. Locum tenente absque sufficienti responso remisso, utrimque hostilitates coeptae, tota die usque in vesperam, in quibus Menzlius unum Hussarum et duos equos amisit. Non obstante hoc Menzlius tota nocte apud urbem perstitit cum suis.

6. Maii die Dominica mane Austriaci minimum numero 2000 apud urbem Monacensem in eodem loco, quo Menzlius substiterat, visi sunt, erantque legiones de Königseck et Valsek, Croatiae, Banduri, Grenadierii de Wurmbrand, equites desultorii cum Hussaris Menzlianis, statimque pedites occuparunt den Ruhsteller, seu crepidam in aqua super Isaram fluvium; verum venatores et iaculatores se illis opposuerunt ex altera parte et 20 Grenadiers trajecerunt, sed a civibus Monacensibus deserti ad muros urbis se receperunt uno tantum ex ipsis vulnerato. Hinc hostis occupatis crepida et turri Isarae liberum transitum per Isaram cum equitatu suo sibi aperuit, per insulam dictam Hirschau, statimque atque hostis locum Loeschel dictum intravit eundem in tribus locis succendit, Banduris Croatis aliisque omnia diripientibus et vastantibus, et quidquid obviam fuit occidentibus. Hoc incendio 60 domus exustae sunt una cum arce Imperiali. Qui se inde proripere tentabant, ab hoste impediti flammis suffocati sunt, quidquid rei milites secum asportare non poterant, in frustra comminuerunt, laceravere, confringere, multosque homines strangulaverunt. Dominus Insulae seu Augiae in suo lecto in frustra concisus et quidam Wachs-Bleicher ad portam affixus sclopetorum globulis interemtus est. Molendini Dominus et caupo arcis frameis concisi, ejusque uxor et filia jugulatae. Alia plura in dies homicidia deteguntur. Postea vero hostis hortis curiae Ducalis potitus, partemque muri demolitus positus in ea 5 tormentis bellicis ex ea et afforis urbem et armamentarium aggressus est. Nostri contra unum Capitaneum der Grenadiers et multos milites perdidit occisos, et quidam locum tenens cum aliis militibus sauciatus est. (Reticeatur hic, quod Monacenses ex tormentis aliisque machinis bellicis vehementissime in nostros milites ejaculati sint.) Tum vero hostis per unum Tambour urbem sibi dedi postulavit, minatus, ni fieret, nulli, nec infanti quidem in utero matris parvulum iri, et omnia, ut in Loeschel actum, perditum iri. Itaque cum nec Commendans, nec regulares milites in urbe essent, omniaque grandi confusione ac perturbatione plena, ad evitanda majora mala urbs coacta est per capitulationem se dedere. Primus hostis capitulationem noluit acceptare, sed suae discretioni urbem permitti voluit, interim tamen conventum in quosdam articulos, quorum tenor nec dum notus est. Hostis postea statim

urbem ingressus est, et peditatus in casernis locatus equitatus vero in urbe permansit apud cives. Peditibus singulis per dies 15 crucigeri dari jussi sunt. Panduri sub ipsam adhuc vesperam varia furta, rapinas, violentias in homines insultationes in foeminas exercuerunt. Finit hac relatio: quid cogitari potest de auctoribus talium crudelitatum inter Christianos, et vel apud ethnicos coecissimos inauditarum, et quibus oculis chara patria non aspiciat cettè racaille i. e. faecem populi ferocissimam, quam adhibuit Magna Ducissa contra nos, et qui similiores sunt latronibus et furibus quam militibus. Id quod iudicio boni Christiani et bono Patriotae expendendum relinquimus. — Verum plura falsa his novis videntur inserta, et non quidem negandum, severius cum Monacensibus actum, verum cogitandum, a nostris Austriacis pro rebellibus nostrae Reginae eos habitos, et iure belli denuo ut contumaces subactos, durius fortassis, ut tractarentur, promeritos. Confer cum relatione Viennensi et quae inter utramque differentia sit deprehendes, praesertim in hac gallica plura fuisse praetermissa, quae leguntur in novis Viennensibus. Consul et Concilium Monacense testimonium publicum reddidit nostris, post secundam occupationem urbis Monacensis nihil aliud a nostris ibi actum, quam quod ordo militaris et regula in urbe et munimento refractario facere solet, atque ita, quae in novis Gallicis Francofurtensibus in contrarium habent, falsa et plane non fundata esse. Testimonium hoc Monachii datum est, et publicatum in dem Haupt-Quartier.

13. Maji ipso die Pentecostes sub horam undecimam vespertinam Regina nostra ipsa die nativitatis suae filiam peperit, altera die a Nuntio Apostolico Pallucio baptizatam, cujus nomen est Maria Christina, Patrini fuerunt Rex Sardiniae Carolus Emanuel III, et mater Elisabethae Imperatricis viduae Ducissa Brunsvicensis Lutherana, quod mirum multis visum est. Regi Borussiae cum 3000 militibus suis Pragam intrare cupienti, is introitus a Gallis negatus fuit.

17. Maji iterum Tzaikistae cum navibus 10 Danubium in altera ripa ascendunt in hostem ituri in Bavariam. Eodem die venit ad me P. Wagner Jesuita, cum socio itineris, Concionatore P. Staudinger, animi causa iter sursum faciens, et a me ad coenam invitatus noluit permanere sed in oppido in hospitio coenam sumsit, agens iam annum aetatis 66, vegetus et facetus ut olim. Is mihi narravit, P. Cales Jesuitam Historiam Principum nostrorum Babenbergicorum scribere perquam exactam et Aloldi sententiam de Leopoldi I. illustris Patre rejicere, meamque, scilicet fuisse immediatum filium Adalberti decollati, tenere, idque fide diplomatum, quod vehementer sum admiratus.

17. Maji e novis Vienn. Prope Zaslau in Bohemia comissum est praelium inter exercitum nostrum et Prussicum durans 4 pene horis, scilicet ab hora 8. antemeridiana, usque ad meridiem, in quo acerrime utrinque pugnatum. Nostri tamen tandem coacti sunt relinquere die Wallstadt, idque culpa quarumdã legionum equestrium, quae per castra hostis erumpentes praedae cupiditate, nequidquam monentibus praefectis

militum, causa fuerunt, quod victoriam amiserimus, cum peditatus strenuiter dimicans defectu illarum legionum longius coram hoste, acerrime in nos tormentis bellicis iaculante continuo, subsistere non potuerit. Itaque de Zaslau versus Willimow pagum, ubi prius castra metati sumus, nos recepimus, minime persequente nos hoste, sed tantum tormentorum ejaculatione nos comitante. In hoc conflictu in peditatu nostro circiter 2000 caesi et vulnerati et totidem der Verloffenen desiderati sunt. In equitatu vero 500 desunt. Inter praecipuos occisi sunt Comes de Frankberg, et Comes Welz, ambo General-Feld-Wachtmeister, item supremus Capitaneus seu Oberster Comes de Fours. De vulneratis Baro Marschall, Palant General-Wachtmeister, Comes Tcerheim, Baro Hagenbach, Comes Livingston. De hostium clade hic dictum, plus dimidio quam nostros, eos amisisse, equitatum hostilem fere totaliter a nostris caesum, partim quod a nostris visi sint in campo belli equites hostiles plurimi, partim quod eorum equitatus nos non sit insecutus. Item quod nostri circiter 3000 Prussicos equos ceperint, et 14 Standart et 2 Fahnen et ultra 1000 hostes captivaverint, inter quos unus Generalis in via mortuus, ein Oberster, 2 Oberstlieutenant, pluresque alii officiales militares, qui in Hungariam translati sunt. Hostes quoque nonnulla nostra tormenta bellica ceperunt, quae defectu equorum et destructorum Lavetten inde abducere non potuimus. In fine laudatus est imprimis Princeps Carolus Lotharingius, intrepide et constanter inter ignes et fere ubique visus, qui duxit exercitum, dein omnes ceteri milites, et plerique equites (exceptis quibusdam, qui scilicet rapinae et praedae cupiditate abrepti causa fuerunt infelicis exitus hujus proelii) ob constantiam et fortitudinem. Noster exercitus rediit usque in Wilmow haud procul ab urbe Zsaslaviensi, et haec ex Haupt-Quartier zu Habern in Bohemia, Viennam scripta et inde publicata fuere. E litteris ad nos scriptis ex ipsis castris nostris constat et nostris 7000 occisos numerari, et quod Prussi alterum tantum in hoc proelio acerrimo amiserint, item nos 30 tormenta perdidisse, quod verum esse ex eo credo, quod testibus novis Viennensibus Bohemiam ad exercitum nostrum ultra 30 talia gravia tormenta abducta fuerint Vienna.

E novis Gallicis: Clerus Gallicanus Regi suo pro dono gratuito 12 milliones librarum obtulit. In Hispania rex ab utroque Clero decimas Ecclesiasticas exigit, cui se opponit Capitulum Toletanum, edito propterea publico scripto, quo asserunt, se etiam petente Papa a tali exactione esse immunes, quod aliis pluribus Ecclesiis exemplo fuit, ut recusarent obedire. Quare Rex iratus Decanum Capituli in exilium mittit, et tamen Capitulum petita solvere coegit.

23. Maji D. Abbas noster Capitulo in Prioratu convocato indicavit se nihil obtinere potuisse remissionis a petita nuper per aulam nostram summa 30.000 florenorum, et eandem integram solvere debuisse, quod et Monasteriis Zwettlensi et Claustroneoburgensi contigit. Item quod Regina petierit in antecessum, ingentem summam pecuniariam a Statibus Austriae, pro qua ipsis vendidit ius, die Drittl Steuer, dictum, emendi.

Monasterium nostrum pro eo iure expendit 20.000 fl.; a Domino Abbate dictum, hoc Monasterio esse proficuum.

E novis Viennensibus: 18. Maii nostri sub Principe Lobkowitz arcem Frauenberg dedi postulant; ejus vero Gubernator iussus a Galli ad extrema se defendere, dedere recusat, quare utrimque acriter tormentis pugnatur. Ad nostros 40 Prussi et Galli desertores veniunt, qui in et post proelium Zsaslaviviense deseruerunt.

24. Maji. Supremus Capitaneus Belesnay, Hungarus, cum suis Hungaris prope Ratibor in Silesia legionem Prussicam Cataphractorum aggreditur eorumque 200 occidit, 208 captivat cum 250 equis, 2 vexilla et tres argenteas tubas in Fulnek feliciter invehit. Viennam rursus Prussi et quidem una die amplius 100 venerunt dicentes se alios 400 secuturos, quorum plerique in servitia Reginae intrarunt.

25. Maji e novis Viennensibus: Nostri in Bohemia sub Principe de Lobkowiz obsidionem arcis Frauenberg deserunt, ob adventum Gallorum numero ut dicitur 20.000 (ubi nostri summum 10.000 erant) obsidionem illam solvere tentantium, et postea in Budweis regressi sunt nullo tormento bellico amisso. Nostri quoque inita cum hoste pugna eorum 12.000 occidunt, suorum vero 180 vel 200 perdidit. Lykani nostri vicum Zazai prope Frauenberg, in quem multi pedites Galli se recepere succendunt, eorumque 300 perimunt. Exercitus noster in Bohemia sub Principe Carolo Lotharingico post proelium Zaslaviense recepit usque ad Peterkau prope Deutschbrod. Desertores Prussici unanimiter affirmant, regem Porussiae in eo proelio ultra 10.000 suorum perdidisse, alii dicunt 12.000, quod vix credo. Nostri hostium partim captivos partim vulneratos 1400 capiunt. Hostis ultra Albim se recipit, et e Silesia 15 Battalions pro succursu exspectat et in Zaslau copias aliquas dimittit, eamque civitatem munit. Item hostis petit permutationem suorum a nobis captorum, pro quibus se reddere promittit nostrorum 542 vulneratorum et captivorum. In Majo fere 500 infirmi milites Hungari, et Germani e campo Tubiensi et Carlstetten curribus ad Cassernam Ipsensem curandi transferuntur.

E novis Viennensibus: Sub finem Maji rursus Viennam veniunt desertores Galli et Prussi, quotidie 40 vel 50, quorum posteriores asseruere, tantam inter Prussos desertionem militum esse, ut una nocte integra legio peditum paucis exceptis aufugerit et deseruerit. Item ex Haupt-Quartier nostri exercitus Bavari prope Platling 26: Generalis Hilfreich, cujus supra memini, a Khevenhillero cum 2000 peditibus, et aliquot equitibus trans Danubium ire jussus est, ut hostiles motus observet. Generalis Damniz pro Comite de Wurmbbrand, qui ad exercitum vocatus est, Passavium ire jubetur ad defendendam hanc urbem. E Monachio cursores quotidie cum litteris adveniunt, et rustici Bavarici centeni et turmatim exeunt, et multos excessus committunt. Generalibus nostris ultra quadrantem horae sine licentia speciali prohibitum fuit, a castris et stationibus suis abesse. Ex iisdem novis, et quidem ex litteris unius e nostro exercitu Praefecti militum scriptis die 18. Maji ex Habern haec habentur de proelio Zsaslaviensi: hostem, qui duplo, i. e. numero 40.000 constabat

relatione exploratorum nostrum exercitum 20.000 fere militibus constantem primum tormentorum explosione, quorum 100 dicitur habuisse, in prima acie stantes Croatas 2000 munitos equitibus, scilicet duabus legionibus equestres nostras ab hostibus in confusionem redactas, alias vero copias hostiles a nostris repulsas. Peditatus vero noster in dextra ala peditatum hostilem laevae alae repulit usque in pagum quemdam, eumque confusum reddidit. Postea equitatus noster laevae alae aggressus est hostilem equitatum dexteræ alae, eumque prostravit, simul equitatus noster dexteræ alae hostem ex omni parte repulit, eumque fugientem usque in Kuttenberg persecutus est adeo, usque de equitatu hostili nihil amplius videretur. Interea peditatus noster ubi strenuissime pugnasset, quia tamen nonnisi a paucis turmis equestribus defensus fuit, et hostilis peditatus pene duplo fortior eo fuit, coactus est referre pedem, interim redeunte nostro equitatu, atque sic hostis campo pugnae potitus est, qui tamen gloriari non potest de multis emolumentis a nobis reportatis, cum ipsius equitatus potissima ex parte vastatus fuerit, nosque 14 Standart et duo vexilla, plus quam 1200 captivos hostes et pene 3000 equos itidem captos acceperimus, et ex parte nostra nullum Standart, aut signum amiserimus. Nos tum occisos, tum vulneratos, captos quoque ac perditos, quorum postremi sequenti die permulti ad exercitum redierunt, numeramus universim fere 4000, cum aliquibus tormentis, quae non in acie amisimus, sed in fuga, cum commode asportari nequiverint. In novis Gallicis diu post hoc proelium dicitur, in exacta lista nos universim, hoc est, occisos, vulneratos, captos et perditos numerare 6270. Item e Castris prope Platling in Bavaria scriptum: a Barone de Bernklau iussu Khevenhilleri missos fuisse Baronem de S. Andrea, et Baronem Trenk cum suis Banduris, et rusticos Bavaricos rebelles supra 1000 in Tolz, Falley, et Mierspach ac Schlierse concitatos a quodam pictore, caupone et Praefecto in Falley, in ordinem redigerent. Itaque Trenkius cum Banduris suis in loco Langries 1000 rusticos armatos invadit, et post pugnam 5 horarum transeendit vias arboribus obsitas, vulgo das Verhaeck, et 30 rusticos, caesit, et 10 captis reliquos in montana auffugere compulit, qui veniam delicti orantes, ac obsides mittentes promiserunt, se iussa facturos, exactiones praestituros, et arma deposituros. Ex iisdem Castris die 28. scriptum, quod Galli, ac Bavari cum omnibus cohortibus Grenadiriorum aliisque multis militibus ac 3000 equitibus nostros Warastinenses cum quibusdam militibus nostris Germanicis aggressi arcem Hilsperg trans Danubium positam occupare conati sint. Ast nostri Warasdinenses Duce Generali de Hilfreich et supremo Capitaneo Miensky illos fugarunt, multis ex iis occisos et dispersis, ut patet e cadaveribus hostium in compitis ac sylvis agrisque iacentibus. Porro Croatiae nulli hosti vitam condonant, etiam supplicantes et rogantibus veniam, sed omnes obvios, quos possunt, occidunt. Consecuti sunt nostri in hac pugna 5 parva tormenta, et Nepos Ducis de Harcours, Generalis Gallici a nostris Germanis captus est, qui edixit, in hoc proelio dictum Ducem, uti et Comitem de Törring praesentem fuisse. E nostris occisi 8, et vulnerati 52, ex hostibus magnus numerus occisorum et

vulneratorum, non tamen definitus, creditur, hostes 6 vel 700 suorum perdidisse. Hostis super suos milites fugientes et arma ac vestes abiicientes magnam executionem fecisse fertur, uti super quosdam Officiales, qui fugerunt ex acie. E novis Gallicis Vienna scriptis: Prussi petunt de suis militibus numerum aliquem Pragensi urbi imponere ad eam cum ceteris foederatis defendendam, verum repulsam retulere. Item quod Prussi in Bohemia vi contributiones exigant, atque inter illos et reliquos Reginae nostrae hostes discordiam vigere, praesertim inter Saxones, qui etiam occasione des Quartiers infestabant se invicem, et quod arx Ratschin per aliquot millia hominum muniatur. Item a nostris in Bavaria litteras ad Regem Porussiae datas fuisse interceptas, quibus ab hoc Rege summa 300.000 fl., non nominata hypotheca, petebatur. Regina nostra a Soldano, Turcarum Imperatore, litteras accepit, quibus nuntiavit hic Princeps, multum instari apud se, ut pacem Belgradensem abrumpat, additis magnis promissionibus, et quod his non obstantibus velit pacem nobiscum initam religiose observare. Galli probabiliter fuerint, qui hoc Turcis persuadere conati sunt. Hungari Principatum Teschen in Silesia occupant, ut scriptum Wratislavia. Rex Poloniae et Elector Saxoniae 12. Maii in Fraustadt venit ad habendam ibid. dietam cum Polonis, praecedentibus cum Nuntio Apostolico, Legatis Porussiae, Russiae, et Sardiniae aliisque. Comes de Polastron locum tenens Generalis exercitus Gallici in Bohemia moratur. Haga Comitum scriptum: Turcarum Imperatorem in gratiam Reginae nostrae multis millibus Rasciorum in Servia licentiam dedisse Reginae nostrae serviendi in bello in Germania, ut ipsi Rascii cupiebant.

24. Maii e novis Gallicis Francofurto scriptum: Baro de Smettan, Generalis, praecedentibus 14 cursoribus (mirum!) publicis ad Carolum VII. Imperatorem venit cum nuntio, exercitum nostrum Austriacum apud Zaslau in Bohemia a Rege Borussiae devictum fuisse. Novellista Francofurtensis addit cum insigni mendacio: cladem Austriacorum tantam esse, ut nequidem mille homines supersint, magnamque exercitus Austriaci partem versus Pragam fugisse, et petiisse servire novo Imperatori. Idem Imperator jussit haberi sollemne Te Deum laudamus Francofurti in ecclesia S. Bartholomaei, et post prandium cum tota sua aula in domum campestris exiit conductam a Legato Hispanico Montio, visurus artificialem ignem, aliaque signa laetitiae, ob hanc victoriam. Idem nuntium de hac victoria allatum fuit Dresdenam, jam absente Rege Poloniae, a Comite de Wartensleben, Adjutante Generali Regis Prussiae, praecedentibus 6 cursoribus publicis, et Berolinum praecedentibus 12 talibus cursoribus ad ambas Reginas cum addito: Austriacos totaliter caesos a Prussis, et omnibus impedimentis erutos, quod postremum falsum est e novis Viennensibus. Nuntiatum id quoque fuit Duci Electori Palatino Rheni cum ejus incredibili gaudio et spe inde secururae propediem pacis. E novis Gallicis Petersburgo scriptis: Imperatrix Russiae mittit per Poloniam Reginae nostrae subsidium pecuniarium per 6000 Rubeln in auro. Clerus Sevilliensis in Hispania exemplo Toletanae Ecclesiae primum recusavit octavam partem reddituum Ecclesiasticorum Regi Hispaniarum contribuere,

metu tamen militum advenientium se submitit, ut et totus Clerus Regni, atque ita factum, ut Regio Fisco ex his bonis Ecclesiasticis summa 12 millium Piastris provenerit. Modena seu Mutina scriptum e novis Gallicis: Rex Sardiniae petit a Duce Mutinensi, ut ipsi urbes Mutinam, Reggio et Mirandolam cedat. Quod vehementer admiratus Dux milites suos Mutinae et Mirandolae collocat, relicta urbe Reggio Regi, Rex vero 11.000 versus Mutinam destinatus, eo quod Dux nec pro nec contra Regem se declarare voluerit. E novis Gallicis Vienna scriptum: Carolus, Princeps Lotharingiae, Dux nostri exercitus in Bohemia, obtinuit a Regina nostra litteras patentes, quibus subditi Bohemici in posterum exempti sunt a Robat duorum dierum per septimanam, cum antea per totam hebdomadam hoc genus servitii praestare debuerint suis dominis. Item Generalem Stenzium cum 4000 praesidiariis suis Monachium deseruisse fama falsa vulgata adventus hostilis cum toto suo exercitu, et supposititia ordinatione, ut urbe egrediatur. Verum Bernklau cum his 4000 et aliis 2000 additis Monachium a Khevenhillero remissum ad eam urbem occupandam, in qua expeditione cum Monacenses restitissent, e nostris 42 et aliis vulneratis urbs denuo capta est, et in poenam rebellionis solvere debuit 200.000 fl. et armamentarium civicum, constans 52 tormentis aliisque armis et munitionibus a nostris occupatum fuit. Francofurtum transfertur jussu Imperatoris dieta Imperialis, cui praesidet Princeps de Fürstenberg, atque ita die 21. Maji prima Sessio conventus Imperii ibidem habita.

Roma scriptum: Regnam nostram intercessisse apud Papam, ut agat apud Principes adversarios suos ad procurandam sibi pacem, et Papa consensit huic petitioni, misitque in hunc finem litteras exhortatorias ad Imperatorem, Regem Poloniae, et Cardinalem de Fleury. Petiit quoque a Papa, ut sibi liceret exigere decimas Ecclesiasticas a subditis suis in Italia, quod Papa negavit, solumque permisit, ut donum gratuitum ab ipsis postulare.

3. Junii Mellicio per aquam praetervectae fuere ex Bavaria duae naves praetorianae Ducis Bavariae, vulgo Leib Schiffe, plenae tormentis aliisque machinis bellicis, praesertim aliquot centenis metallinis et ferreis Doppélhagen. Noster exercitus Bohemiae sub Carolo Principe e Deutschbrod, et Peterkau usque in Sobieslau, quae est in circulo Bechinensi, se recepit cum copiis Lobkowizianis, ut credere par est, se coniuncturus ob Gallos et Prussos nobis insidiantes.

E novis Viennensibus: Primae copiae Anglicanae Ostendae in Belgio 21. Maji appulere, numero 3260. 8<sup>va</sup> Junii multa tormenta bellica Olomucium abducta sunt, et proxime Brunam hujusmodi supellex bellica mittetur, pro quibus Buda Viennam alia tormenta adducentur. Ingens quoque copia annonae ex Hungaria per Viennam in Moraviam et Bohemiam transvehenda advenit. Exercitus noster sub Carolo, Principe Lotharingiae, prope Thein in Bohemia Gallorum corpus aggreditur, idque in fugam agit, caesis eorum prope 300, captis 204, et unus General Major, praeter plures nobiliores Praefectos militum, item erepta 5 Standart, et 2 Fahnen,

multi currus onusti, uti et muli cum castris a nostra occupata, atque ita nostri celerem per Muldavam fluvium transitum consecuti fuere. Mirum nullum e nostris in hac expeditione deseruisse, quod ipsi Novellista specialiter advertit. Galli cum Bavaris apud Krumau, Frauenberg aliisque vicinis locis substitere.

E Gallicis novis: 30 Maji Marchio de Mirpsoia, Gallus, a Generalibus Broglio et Bellisle Francofurtum missus, eamque urbem cum 2 cursoribus et 6 postillionibus ingressus Carolo VII. Imperatori nuntium victoriae prope Sahay attulit, reportatae a Gallis de nostro Lobkovizio, ob solutam obsidionem Fraubergensem, ob quam, ut illi volunt, victoriam Carolus VII. Te Deum laudamus celebravit. Hujus pugnae integram relationem Novellista Francofordiensis exhibet, ex qua nihil aliud constat, quam nostrum exercitum tempestive fugisse ob excessivam potentiam hostium, et quod ob tardum adventum majoris equitatus et peditatus hostilis idem hostis non potuerit ita de nostris triumphare, ut volebat. Additum in fine, hostibus non constare de numero occisorum et vulneratorum, itemque nostros Banduros villam Sazay a se occupatam et postea eam coactos deserere ob hostium adventum, illam villam succendisse, in quo incendio multi Banduri perierunt. Haec Gallorum victoria perquam exigua est, nec digna, quae Carolo VII. tanto cum plausu ac strepitu nunciata fuerit. Vide supra relationem Viennensem de hoc conflictu et fuga Lobkowizii nostri, ex qua constat, hostium ad 1200 occisos, et in pago pariter 300 interemtos. Ex iisdem novis Versalia scriptum: Mareschallum Broglio, Gallici exercitus Ducem, in Bohemia Regi Franciae nuntiasset, se victoriam obtinuisse de nostro Principe de Lobkowiz apud Frauenberg, et Gallicum equitatum prodigia fortitudinis in ea occasione edidisse, atque Officiales militares heroice se gessisse, omnesque milites cum incomparabili fortitudine ibidem pugnasse, et interfuisse Mareschallum de Bellisle, ac nostros solvisse obsidionem Frauenbergensem. Nihil hic dicitur de numero Austriaeorum ac Gallorum occisorum, solum dicitur, aliquos Officiales Gallicos fuisse vulneratos.

Ex novis Gallicis infra Mutinam ex Italia scriptum ex exercitu nostro Austro 20. Maji: Paratur ex parte nostra obsidio urbis Mutinensis, eo quod rescitum fuerit, Ducem Mutinensem tractatum cum Hispanis, hostibus nostris, iniisse, qui venient certo in auxilium hujus urbis. In nostrum exercitum adducti captivi multi Hispani Miquelet et equites desultorii. Vienna scriptum ex iisdem novis Gallicis, 12 Standart Prussis erepta apud Czaslau (vel rectius apud vicum Cottowitz) in variis ecclesiis Viennensibus fuisse distributa.

Multum laudari Viennae fortitudinem Principis Caroli Lotharingici et nostri peditatus, qui fortitudinem leoninam in prolio Czaslaviensi exhibuit, non tamen ita laudabiliter de nostro equitatu loqui plurimos. Item Banduros causam quoque fuisse amissae ex parte nostra victoriae apud dictum locum propterea, quod fumus ex incendio vici hujus, a Banduris nostris facto, a vento in nostros milites pulsus fuerit, qui im-

pediit, quominus hostis motus observare potuerimus. Item Generalem Svimay cum 1400 et 6 signis Hungaricis Viennam advenisse, qui interea in hac urbe servitia exhibebunt. Ex iisdem novis Gallicis Francofurto scriptis: Decretum a Commissione Imperiali prodiisse, quo petitur ab Electoribus et Statibus Imperii solutio mensium Romanorum, vulgo der Römer Monatgelder, ob sumptus faciendos in Legatos Caesareos, et pro stipendiis solvendis Consiliariis, vulgo Reichs Hofrätthen. Item Colonellum Plattni, qui Passavium nostris post occupationem urbis Lincensis cessit, 20. Maii fuisse decapitulatum jussu Caroli VII.

E novis Viennensibus: Comes Khevenhiller usque in Platling ad Isaram hostes exploraturus cum 250 Hussaris et quibusdam equitibus pergit, et quidam Capitaneus nomine Oesterreicher tormento bellico, quorum 4 hostis in nostros iaculatus est. in pede graviter laesus paulo post moritur, item e nostris 6 occisi, 5 vulnerati, totidemque equi. Hic Capitaneus adequitavit proxime Comito Khevenhillero, et sic Deo gratias, quod tactus non fuerit tormento, hostis vero postea ab Isara et munitionibus suis ad eam factis aufugit.

6. Junii. Exercitus noster Principis Caroli Lotharingici se conjunxit cum exercitu Principis Lobkowiz, qui postremus Gallos de Thein ad Wodniam pergentes cum suis Croatis in arriergarde invadit, eisque magnum damnum infert, et aliquot in iis Standart eripuit. Gallos quoque ad Pisek abeuntes insecuti sunt nostri Hussari, et praeter factos ex eis captivos per multa impedimenta, supellectilem argenteam mensalem Mareshalli de Broglio, et Cassam bellicam iis auferunt, ferunt, hanc cassam 500.000 valuisse.

8. Junii nostri Hussari et Croatae civitatem Pisek vi occupant, et ibidem 500 Gallos praesidiarios praeter 41 Officiers captivant, quibus omnibus non donassent vitam, nisi Generales Hungarici impedivissent. Item in Stekna plus quam 70 Galli se nostris Grenadiis captivos dedunt, fugiunt Galli recta Pragam, quos continuo infestant Hussari, et ex eis multas ac pretiosas praedas faciunt. 66 captum Pisekium supremus Capitaneus Marchio de Spada Viennam cum 4 postilionibus laetus intravit. In occupatione hujus urbis nostri impedimenta, et insignia spolia ex hostibus reportarunt, nec eorum quisquam occisus fuit, et nostri hostem reliquam fugientem constanter prosecuti sunt, ejus fere omnia impedimenta abstulerunt. Item nostri post captam Pisek hostem insequentes Gallorum 1500 captivarunt. Hungari caverunt sibi a castrorum depredatione ab ipsis perruptorum, quia hoc in proelio Czaslaviensi non observarunt, causa fuerunt infelicis hujus proelii, ut Hussarus Baro nomine Schigray mihi hic Mellicii in mensa narravit, quamquam cum eis etiam Germani equites fuerint. E novis Viennensibus: Austriaci nostri cum regis Sardiniae exercitu coniunguntur in Italia. Nostri in Bohemia, relicto Pisekio, Mirotitzium pergunt, audito interim, Gallos Pragam fugisse insequentibus continuo Hussaris, et ex iis in fuga multos capientibus, ita ut spatio 8 dierum medietas impedimentorum

hosti erepta sit. Hungari in Comitatum Glacensem irrumpunt captis pluribus Prussis.

Ex iisdem novis Viennensibus, Platling scriptis: Tzaikistae cum navibus sursum ascendunt versus Winzer. Jaculatores Bavarici referentibus desertoribus Gallis arma deponunt metu nostrorum Croatarum aequae ac illi in jaculando peritorum. Galli quoque in castris suis timentes a nobis impeti fere in armis et continua custodia de nocte sunt, quae res, uti referebant desertores Gallici, Gallos maxime fatigat, et animum illis contra nos pugnandi adimit, cogitque ut quotidie eorum 20 vel 30 et amplius ad nos deficient, aiuntque magnam penuriam victualium esse, et illis ad quinque vel plures dies panem non praeberi. Unde augescit desertio Gallorum. E Bohemia ex Hauptquartier Byssnitz die 31. Junii: a die 9. usque ad 13. Junii inter cetera dictum, nostros Hussaros adhuc hostem insequi pergentem celeriter Pragam, et quod circa Pragam exercitus foederatorum hostium castra posuerit, omnibus impedimentis ex urbe foras eductis et una tantum legione in ea relicta, et Hussaros nostros Pragam usque excurre, et multos desertores, ac alios captivos Gallicos ad castra retulisse. Item Viennae Regina nostra post tempus exacti puerperii 16. Junii una filiola prodiit in ecclesia Augustinianorum veteri catholico ritu purgationis puerperarum, eam ceremoniam peragente Nuntio Apostolici Palluccio, et postea in Capella Lauretana sacrum cantatum habitum a D. Breitenbacher, Episcopo Suffraganeo Viennensi.  
(Continuatur.)

## P. Placidus a Spescha ein Naturforscher aus dem Benedictinerorden.

Von P. Martin Gander, O. S. B. in Maria-Einsiedeln.  
(Schluss von Heft III, Jahrgang VII, S. 137—157.)

A Spescha war überhaupt ein eifriger Sammler von Mineralien und Pflanzen. Es wurde bereits erwähnt, dass er seine Steinsammlung im Jahre 1799 um 20.000 Frs. verkaufte, dann ferner wieder als Kaplan von Selva im Sommer des Jahres 1813. Auch später sammelte er noch stets fort, doch wurde laut erhaltenen Mittheilungen fast Alles zerstreut in Folge von Geringschätzung solcher Dinge von Seite einiger Gegner solchen Naturstudiums. Einzelne unbedeutende Ueberreste, meist Bergkrystalle, wenige Stücke Rauchtupas, Rosenquarz, Kalkthongranate, Anatas, Adular, Sphen, Rutil, Kalksinter, Schwefelkies u. dgl., zusammen gegen 1000 Stücke, wurden auf meine Veranlassung hin im Jahre 1881 im Kloster Disentis aus dem Brandschutte herausgegraben und bilden einen Theil der kleinen aber recht interessanten Steinsammlung des Klosters, welche zumeist aus Steinen dortiger Gegend besteht. A Spescha bemerkt auch, dass er versteinerte Meeresproducte, namentlich Meer-